

Ad Rationes, dicimus ad I. distinguendam esse majorem; si simplex sit formaliter simplex, & virtualiter multiplex, propter plura connotata, ad quæ dicit ordinem, negatur; alias conceditur. Deus licet formalissime sit simplex, propter suam nihilominus infinitatem virtualiter est multiplex, quia ad multa connotata ordinem dicit. Ad

II. Dicitur, Deum esse adæquate ineffabilem, adeoque clare, non autem obscure, esse incognoscibilem. Et quia adæquate est ineffabilis, est etiam incomprehensibilis. Ad III. Dicitur, non cognosci Deum in creaturis, sed ex creaturis; & cognosci prout in se est, non autem clare, sed obscure; unde cognitio intuitiva non est.

DISSERTATIO X.

De Constitutivo Essentiæ divinæ.



UIA multa sunt, immo innumera, Dei prædicata, ex istis unum omnino erit, quod, nostro concipiendi modo, cæterorum sit radix, & quod primo intelligatur constituere Deum in esse Dei; adeoque in quo divina essentia consistat, & quod illius dicatur, sitque vere, constitutum. Prædicata, quæ diximus, sunt illa eadem, quæ Attributiona Dei nominantur; & quidem, physice loquendo, omnia, quæ in Deo sunt, physicam, realemque, Dei essentiam constituunt; unde in hoc sensu in omnibus simul Dei attributis certum est, Dei essentiam consistere. At non in hoc sensu præsens instituitur controversia; sed de constitutivo metaphysico procedit; physicum autem constituit omne, quod est in Deo, ut dictum est. Metaphysice igitur loquendo, unum reperire debemus in Deo prædicatum, quod cæterorum omnium intellectio-nem præcedat; quod quidem prædicatum erit illa Dei perfectio, veluti fontalis, ut dicunt, & primordialis, qua Deus in esse Dei constituatur, & per quam distinguitur a quolibet ente, & creato, & creabili, & ex qua aliæ perfectiones, veluti quædam proprietates, emanare intelligantur. In hoc quidem constitutivo assignando multæ multorum sunt opiniones, quas usque ad decem enumerat Izquierdo. Principales autem ad tres, vel quatuor, reducuntur; quarum Prima est asserentium, consistere in omnium Attributionum Dei collectione, quemadmodum de physica essentia diximus. Tribuitur hæc opinio Suariorum, Ægydio, aliisque. Secunda tenet, consistere in Aseitate, vel independentia; in eo scilicet, quod Deus sit ens a se, & ab omni alio independens. Est hæc sententia P. Magnani, P. Lallemandet, Petavii, Conzenfonii, aliorumque Recentiorum quasi

communis, quos nuperrime P. Saguens, & P. Boucat, sequuti sunt. Tertia existimat, consistere in infinitate radicali, seu infinitate simpliciter; & est quamplurimum, præcipue Scotistarum, quos sequitur ex nostris P. Filoramus. Quarta est Thomistarum, putantium, vel in actuali intellectu consistere, ut defendit Stephanus Spinula, vel in principio proxime intellectivo, ut alii tuentur. Hæc sunt celebriores hac insatis ventilata quæstione inter Scholasticos, opiniones; quas omnes nos conabimur pro viribus impugnare, ut nostram ultimo loco peculiarem aliam proponentes, illam, quantum Deus dederit, propugnemus. Dicimus igitur I. Essentiam Dei metaphysice sumptam non consistere in collectione, seu cumulo, omnium Attributionum Dei. Et Probatur I. ex Patribus, Basilio lib. 1. contra Eunomium: *Qualitates, & proprietates differentias, quas circa substantiam ratione, cogitationis intelligimus.* Si sunt circa substantiam Dei, & quidem metaphysice acceptam; non sunt ergo substantia Dei metaphysice considerata. Nysseno ad Ablabium pag. 93. quem citat Cacheranus: *Dicimus v. g. Numen esse incorruptibile, vel omnipotens, vel quæcumque alia, sed reperimus eujuscunque nominis peculiarem esse significationem, quæ significatio tamen non illud significat, quod natura juxta essentiam est ... eodem modo, si vel vivificum dixerimus.* Et attributa, quæ a ratione essentiæ excluduntur; & quidem non alterum, sed omnia; adeoque omnium etiam collectio. Maximo in Panoplia apud Euthymium par. 1. tit. 3. *In Deo, bonus, & opifex, & infinitus, & immortalis, & quæ his similia, non dicimus esse differentias essentiam constituentes, sed appellationes quasdam, quibus aliqua eorum, quæ circa ipsam spectantur, participant.* Nil clarius verbis hisce, quibus omnino declaratur, attributa, etsi omnia, divinam esse.